

committit post poenitentiam, ita ut non tantum sequenti peccato, sed etiam omnibus prius remissis reus teneatur, et consequentur magis peccator et maioris poenae reus, quam si antea non peccasset. Quaestio est igitur utrum non quidem actu seu re, sed *imputative* peccata redeant. Quaestio esse potest et de reatu culpa et de reatu poenae; sed, ut monet ipse Vasquez, non est reapse quaestio duplex, sed una; unus enim reatus nequit redire sine alio. Quaestio speciatim fit quoad peccata mortalia, sed idem, iuxta indolem subiecti, dicendum de peccatis venialibus.

Iam vero videntur peccata dimissa propter subsequens peccatum redire. Nam. Psal. LXXVII, 8. dicitur: Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; et 3.<sup>o</sup> Reg. XVII, 18. Quid mihi et tibi vir Dei? ingressus es ad me ut rememorarentur peccata mea et interficeres filium meum? et Psal. CVIII, 14; In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, et peccatum matris eius non deleatur. Porro si dicitur Deus peccata dimittere cum eorum obliviscitur, dicendus est ea rursus imputare, cum eadem in memoriam revocat. Idem suadetur ex parabola servi, qui noluit misericordiam facere cum conservo suo, quique proinde iussus est redere debitum iam dimissum Matth. XVIII, 23. seqq.

Idem et Patres videntur docere, ut Augustinus Serm. LXXXIII. c. 6. « dicit illi Deus, dimitte et dimittuntur tibi, si ego prior dimisi, dimitte vel postea; nam, si non dimiseris, revocabo te et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi; non enim mentitur veritas, non fallit aut fallitur Christus, qui adiecit dicens: sic et vobis faciet Pater vester, qui est in caelis ». Pariter Chrysostomus hom. LXII in Matth. in hunc locum; « Quoniam beneficiis melior fieri non potuisti, reliquum est ut poena torquearis, et quamvis charismata haec et dona irrevocabilia sint, tamen tantum malignitas valuit, ut hanc quoque legem superaverit: quid igitur deterius memoria peccatorum ac ultione, quae tot tantaque divina dona evertere posse videatur? » Et Gregorius M. Dialog. L. IV, c. ult. « Ex quibus dictis constat quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus a nobis exigitur, quod nobis iam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus. » Perperam vero citatur Ambrosius in Epist. ad Ephes. illi enim commentarii non sunt s. Doctoris.

Et sane quamvis infusio gratiae sanctificantis sit Dei donum et opus misericordiae, tamen revocat Deus hoc donum propter subsequens peccatum; cur ergo non poterit revocare condonationem factam peccati?

Imo quoniam peccatum remittitur formaliter infusa gratia, vide-

tur quod hac desinente, illius remissio, quae effectus formalis gratiae erat, debeat cessare.

Inter veteres theologos exstiterunt quidam, quos citat s. Thomas heic, qui docuerunt peccata dimissa simpliciter redire propter subsequens peccatum; et ne videretur opus Dei miserentis per opus subsequens hominis peccantis irritari, quidam dixerunt: « Deum non remittere peccata poenitenti postmodum peccaturo secundum praescientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam; praescit enim se pro his peccatis eum aeternaliter puniturum, et tamen per gratiam facit eum praesentialiter iustum ». Scilicet remissio esset in hac hypothese non absoluta sed conditionata. Alii non semper voluere redire peccata dimissa, sed solum propter aliquod determinatum subsequens peccatum, h. e. propter unum ex his quatuor peccatis, nempe apostasiam a fide, odium fratrum, contemptum confessionis, et displicentiam poenitentiae habitae. Cf. Magistrum in IV. D. 22. ibique s. Bonaventuram; atque Vasquez in I. II. D. 268. Nihilominus certa est sententia, quam propugnamus sequenti Thesi.

#### THESIS XVIII.

*Ita remittuntur a Deo peccata ut nullo pacto propter peccatum subsequens redeat reatus culpa et poenae praecedentium peccatorum, quae per gratiam dimissa fuerant.*

I. Agimus primo de reatu culpa. Supponendum est, quod iam demonstravimus in Tract. De Gratia, peccata, cum remittuntur a Deo, *vere remitti*, saltem pro eo instanti, quo fit remissio, ita ut facta condonatione, peccatum sive reatus culpa tollatur, deleaturque ab homine, qui idcirco non sit amplius in statu peccati, sed sit intrinsece iustus et sanctus. Id in hac quaestione supponitur, in qua quaeritur *de reditu reatus culpa*; non enim rediret, si prius non desiisset. Probandum ergo restat remissionem peccatorum, cum fit, fieri absolute, h. e. citra ullam conditionem actus futuri ex parte eius, cui remissio fit; et proinde manere immutabiliter eam remissionem, etsi deinceps homo rursus peccet. Quod Prosper aperte docuit in resp. 2.<sup>a</sup> ad obiect. Gallorum: « Qui recedit a Christo... non in id quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur. »

Probatur argumento s. Thomae heic. Si causa remissionis absolute ponitur, et effectus ponitur absolute, atqui causa remissionis ponitur absolute: ergo. Porro si remissio absolute ponitur, eo ipso non est conditionata: esset autem conditionata, si ita remitteretur

peccatum, ut propter aliud subsequens peccatum, reatus illius rursus rediret: ergo. Probat 1<sup>o</sup> minor. 1<sup>o</sup> ex certo signo. Nam Apostoli eorumque successores ex potestate ipsis facta (*Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*) remittunt peccata absolute; neque enim solvunt peccatores hac conditione, si nempe rursus peccaverint, redeat reatus culpa, a quo solvuntur; sed simpliciter solvunt citra ulla conditionem futuram. Ita profecto semper Ecclesia sensit in ministerio huius potestatis: quocirca etsi sit obligatio confitendi rursus peccata iam subiecta clavibus sed non remissa (si ab altero sacerdote petis absolutionem), nulla est tamen amplius obligatio confitendi rursus peccata iam remissa, eorumque absolutionem petendi, cum quis rursus peccat, quae profecto obligatio ab Ecclesia imponeretur, si sciret se sub hac conditione remittere peccata. Nam peccata forent, quae haberemus in conscientia et quorum remissio consequenda foret. Omnis vero reatus peccati mortalis solvendus est iure divino per ministerium clavium. Itaque ex sensu Ecclesiae, qui in hac re constantissimus est, patet potestatem collatam Apostolis remittendi peccata esse potestatem remittendi *absolute* et hanc remissionem reapse *absolute ab Ecclesia donari*. Atqui solutionem Apostolorum, eorumque successorum Deus ratam habet. Solvit ergo et ipse eodem modo, h. e. absolute. Eodem, inquam, modo; nam si eodem modo absolute non solveret, reapse Deus non solveret quaecumque solvunt Apostoli; nam ii absolute remittentes solvunt ab obligatione contrahendi rursus reatum culpa et confitendi denuo peccata iam remissa. Ergo si talis est remissio, prout ab Apostolis conceditur, est quoque talis, prout a Deo donatur. Talem vero esse remissionem Apostolorum probat Ecclesiae sensus: ergo.

Et re quidem vera 2) id requirit ipse conceptus tum genericus tum specificus remissionis peccatorum, quem Scripturae suppeditant. Quandoquidem remissio peccatorum est donum Dei gratuitum, conceptus eius genericus est ut sit a Deo sine poenitentia: *sine poenitentia enim sunt dona Dei*, h. e. quantum est ex parte Dei, Deus nunquam negat quod promisit, nunquam revocat quod donavit, nisi ipsa iniquitas hominis impedimentum ponat executioni promissionis, aut nisi donum datum sit ex se temporale, aut iniquitas subsequens, quacum donum consistere amplius nequit, cogat Deum illud donum auferre: atqui remissio peccati non est per se aliquid temporale, sed perpetuum, et peccatum subsequens non pugnat cum remissione praeteriti peccati, sed solum cum praesenti iustitia et amicitia Dei: ergo nulla est necessitas quod propter peccatum subsequens revocetur condonatio facta prioribus peccatis, cum satis sit punire subse-

quens peccatum iuxta eius gravitatem, quae ex circumstantia quoque relapsus attendi potest: ergo.

Specificè vero talis traditur esse remissio, ut sit vera remissio, ut per eam nempe penitus deleatur et desinat peccatum sive reatus culpa renoveturque homo et intrinsece sanctificetur. Atqui si reatus praecedentium peccatorum redit propter subsequens peccatum, ille non fuit vero remissus. Scilicet repugnant haec duo, vere remitti peccatum et rursus eius reatum redire, subsequente alio peccato. Sane remissio peccati, quod tamen per subsequens peccatum redeat sive rursus imputetur, est remissio plus minus conditionata, non simpliciter absoluta; nam pendet quoque ex facto sequenti, quod nondum est, scilicet non peccare in posterum; remitto tibi, Deus scilicet dicit, dummodo amplius non pecces. Iam vero haec conditionata remissio potest dupliciter intelligi, 1<sup>o</sup> remitto nunc tibi vere, deleoque culpam tuam ut sis prorsus iustus et sanctus intrinsece, ita tamen ut haec remissio huius peccati non sit perennis nisi amplius non pecces: si vero peccabis, rursus reatus culpa, quem tibi remitto, imputabitur tibi, et pro eo punieris, veluti si remissus non fuerit: 2<sup>o</sup> ipsa remissio quam nunc impertior, est conditionata ita ut effectum suum actu non efficiat nisi existente conditione, et quoad adhuc incerta est conditio, sit suspensus effectus remissionis. Manifestum est quod haec altera conditionata remissio non est vera remissio, quoniam nondum operatur; ideoque culpa non vere tollitur, nec vere homo fit iustus et amicus Dei, qui sunt effectus formales verae remissionis. Igitur vera remissio excludit istam remissionem conditionatam. Quaestio est an prior conditionata remissio, quae est conditionata tantum quoad remissionis perennitatem, sit vera remissio, illa inquam vera remissio, quam Deum poenitentibus impertitur, et quam supra descripsimus.

Respondendum est quod nec ipsa est vera remissio, et idcirco si Deus hoc pacto condonaret peccatum, negandum foret ipsum vere remitti. Ratio est quia in huiusmodi condonatione peccati, etsi, ut id modo demus, non maneat reatus culpa, manet tamen fundamentum cur homo rursus possit odio haberi a Deo, censerique reus propter illud peccatum, quod dicitur dimissum. Atqui hoc perinde est ac non esse vere remissum peccatum: ergo. Minor patet, quia fundamentum hoc cur homo sit odibilis Deo, est aliquod malum in ordine morali, et reapse nequit esse nisi ipse reatus culpa manens. Maior probatur. Nam pone, homine secundo peccante, reatum redire. Adest ergo, cum rursus peccat, ratio et fundamentum cur homo odio habeatur a Deo propter peccatum praecedens. Iam vero uden est hoc fundamentum? Non quidem restituitur a Deo, qui nullius

cuiuscumque malitiae moralis potest esse causa: non reproducitur a peccato sequente; nam peccatum sequens vel reproducit illud fundamentum quatenus est tale peccatum, vel quatenus est peccatum sequens: atqui quatenus est tale peccatum, nequit inducere nisi reatum proprium sibi et rationem exhibere cur homo propter ipsum odio habeatur a Deo; ridiculum est enim ut quis eo quod furatus est, odio habeatur tanquam blasphemator: quatenus autem est sequens, habet circumstantiam adiunctam, quae propria est ipsius, novumque reatum inducere potest, non vetus reproducere. Nec sufficit peccatum fuisse aliquando idque cognosci a Deo, ut possit illud peccatum licet remissum rursus iure a Deo imputari ad culpam. Nam concedendum est esse aliquam remissionem, quae destruit prorsus huiusmodi possibilem imputabilitatem, qualis est ea, e. g. qua sancti gaudent in coelo: atqui pro eis quoque, qui poenitentes fuerunt, verum erit semper quod aliquando peccaverint: ergo id non sufficit ut possit ei, cui peccatum remissum est, rursus idem peccatum imputari. Dicendum est igitur quod si Deus rursus odio habet hominem propter peccatum, quod ei dimiserat, fundamentum huius odii ortum ex eo peccato mansit semper etiam facta condonatione. Atqui si ita est, negandum est quod vera fuerit remissio. Nam primo homo, in quo est fundamentum cur possit odio haberi a Deo, nequit censerī intrinsece renovatus et sanctus, in quo Deus nihil oderit, illud enim displicet certe Deo. Secundo istud fundamentum vel in hoc situm est quod aliquando peccatum fuerit, vel est reatus peccati, qui manet, atqui illud, ut vidimus, non sufficit; ergo est reatus, qui certe non est nihil: atqui manente reatu, nequit dici culpa dimissa: ergo. Cf. Vasquez l. c. et Lugum De Poenit. D. X.

Quocirca patet nullam esse vim ultimi argumenti a nobis superioris positi, quod est quartum ex obiectis a s. Thoma. Nam remissio non est tantum effectus quidam veluti formalis gratiae sanctificantis infusae, sed est primum effectus divinae voluntatis libere condonantis offensam et cum condonatione infundentis gratiam ut ex statu peccati transeat homo ad statum filiorum Dei: quae quidem condonatio per se posset esse quoque sine infusione gratiae, qualis foret in statu purae naturae. Deus scilicet remittens peccatum renunciat iuri quod habebat propter illa peccata ad odium erga hominem, iustumque hominem ac sanctum suumque amicum et filium efficit: istius vero doni non ipsa infusio, sed perseverantia, quae cum peccato sequenti consistere nequit, quippe quod ab ipso peccante gratia abicitur, desinit propter peccatum sequens: aliud vero « quod gratia semel fecit, semper manet ».

Verum, inquires, nonne iustitiae ordo postulat ut propter ingra-

itudinem beneficium prius collatum auferatur; ideoque et remissio prioris peccati?

Respondeo iustitiam postulare ut ingratitude puniatur eoque magis, quo maiora beneficia praecesserunt, puniatur vero vel revocato beneficio, si conditionate datum fuit, aut si est reapse auferibile, vel alia poena, *conc.* ut reatus ingratitude sit alius reatus praeter se ipsum aut secum ferat reatum quoque aliorum peccatorum, *neg.*

II. Nunc quoad reatum poenae. Quamvis possit Deus statuere ut peccatum sequens puniatur speciali poena, quae gravior sit quam illa, quae per se ei deberetur, idque propter ingratitude peccatoris, et ideo statuere possit, ut peccans iterum subeat poenam sensus, quae et pro priore peccato deberetur; attamen haec poena non esset nisi materialiter poena prioris peccati, formaliter vero esset tantum poena secundi peccati; quia hoc solum puniretur a Deo. Dicimus autem fieri non posse, ut propter subsequens peccatum Deus infligat peccatori poenam eo fine ut puniat peccatum iam dimissum, cuius non solum reatus culpae sed et poenae iam desiit (intelligimus eum reatum poenae qui vel cum reatu culpae desiit, vel succedente satisfactione deletus est; de hoc enim quaestio esse potest), sive, quod perinde est, fieri non posse ut reatus poenae peccati remissi redeat. Nam reus poenae non est nisi qui culpam habet, nec puniri potest quis poena propter aliquod peccatum, nisi habeat reatum illius peccati; ergo desinente reatu culpae, desinit etiam reatus poenae quae peccato manenti debetur; ergo.

Difficultas est quia remisso peccato mortali remanet poena temporalis, et admissio alio peccato mortali, quod ante mortem non remittatur, illud quoque peccatum prius punitur poena aeterna in inferno; quia aliqua poena punitur, cum adhuc expiandum ex parte esset: poena autem eius est aeterna; quia in inferno nulla est remissio aut mitigatio poenae: ergo redit pro eo peccato poena aeterna, quae fuerat remissa.

Respondeo: quoad ad primum nullam esse difficultatem; aliud est enim poenam alicuius peccati non totam remitti, remisso peccato; aliud est poenam non amplius debitam rursus fieri debitam propter sequens peccatum, quod in hypothesi, quam impugnamus, contingeret.

Quoad secundum respondeo. 1° Sunt qui negant poenam in inferno pro peccato iam quoad culpae reatum remisso fore aeternam; neque sententia asserens aeternitatem eius videtur nobis probari merito ex eo quod iuxta doctrinam Patrum poenae inferni non sint obnoxiae mitigationi et pausa. Probabiliter enim Patres, cum hoc dicerent, spectabant poenas debitas iis peccatis, propter quae dam-

nantur homines; huc enim sponte naturaliter fertur cogitatio cum de poenis damnatorum sermo est: porro non huiusmodi est peccatum mortale quoad culpam iam remissum.

Respondeo 2<sup>o</sup> poenam illius peccati fore aeternam non quia redeat poena prior, h. e. quia prior remissio rescindatur, sed per accidens, quia homo in inferno reperitur, ita ut etiam poena peccati venialis, quae remansit expianda, sit ibi aeterna; nulla est enim in inferno remissio, quia in eo statu affectus ad aversionem totalem a Deo perdurat, qui impedit remissionem alicuius poenae. Ita communiter Theologi cum s. Thoma q. LXXXVII, a. 4. Confer Lugum I. c.

III. Restat ut argumentis in contrarium faciamus satis. Advertendum quod duplici ex causa dici potest Deus oblitus delictorum, altera quia remisit, altera minus proprie quia distulit poenam sive peccato adhuc manente, sive iam remisso quoad culpam, sed adhuc expiabili aliqua poena temporali: sic enim non puniens quodammodo se habet ac si esset oblitus. Iam vero in priori testimonio Scripturae non est sermo de peccatis iam remissis, sed oratur Deus ut peccatorum obliviscatur, h. e. remittat culpam et poenam. In altero testimonio verba sunt mulieris, quae mortem filii poenam censet esse irrogatam sibi a Deo propter peccata, quae certo non noverat sibi esse remissa saltem quoad omnem poenam; peccata ergo sua rememorata a Deo nunc dicit, quia nunc ea punit. Tertium testimonium quandoquidem loquitur de peccatis parentum, quorum certe reatus filiis non imputatur, non videtur ad rem facere. Sensus eius videtur esse: quoniam Deus punit peccata parentum etiam in filiis (quae tamen punitio talis non est poena filiorum, sed parentum) et multo magis id facit Deus, si filii consentiant patribus suis in peccato (et tunc in utrisque punitio habet rationem poenae) atque ita identidem Deus quandam familiam perseverantem in peccatis parentum stirpitem evellit, ut desinat ea series peccatorum, quae videntur veluti hereditaria facta in ea familia; hinc Psaltes, ut huius peccatoris, contra quem agit, totiusque suae familiae destructionem (v. seqq.) exoret vel comminetur, ponit ob oculos Domini peccata illius esse peccata hereditaria, esse peccata familiae ideoque provocat ad peccata parentum, ut significet peccata esse familiae, quae initium a parentibus habuerunt; orat ergo ut Deus ea peccata ut talia consideret, quo moveatur ad universam familiam extirpandam.

Quoad parabolam servi penes Matth. XVIII, 23. seq. qui servus iussus est a Domino reddere universum debitum iam dimissum, quia iniquus fuerat in fratrem suum; advertit parabolam Christi eo directe spectare, ut doceat dimittendas esse iniurias a proximo nobis illatas,

ut ex conclusione parabola constat: parabolam autem afferri pro declaranda responsione data verbis Petri, quae responsio, ut ex parallelo loco Lucae XVII, 4. liquet, videtur directe insinuare condonationem iniuriarum. Petrus vero suae interrogationis: *Quoties in me peccabit frater meus, et dimittam ei?* occasionem nactus videtur ex verbis praecedentibus Christi: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum;* quibus verbis directe praecipitur correptio fraterna, sed hoc ipso insinuatur quoque condonatio iniuriae.

Itaque Christus hac parabola voluit docere condonandas esse iniurias proximi (v. 21), et gravissime peccare ac gravissime a Deo puniri, qui negat condonare: speciatim autem voluit docere affectum hunc malum inimicitiae erga proximum propter acceptas ab eo iniurias impedire ne Deus dimittat nobis debita nostra, ut alibi et in oratione dominica Christus docuit. Quod quidem significavit ea iussione regis ut redderet universum debitum servus ille, qui ut ex contextu parabola apparet, hunc malum affectum erga suum conservum gerebat, cum audivit a Rege sibi condonari totum debitum. Si ergo in parabola distinguas id quod spectat ad ornatum, et id quod spectat ad substantiam, seu quod respondet rei significatae, facile liquebit substantiam in eo esse quod qui non dimittit proximo, nec ei ullum debitum dimittitur a Deo; ad ornatum vero spectare quod antequam hic affectus malus servi manifestaretur, rex dixerit se dimittere seu dimiserit debitum; homo enim erat, qui non inietur cor.

IV. Ad Patres dicendum est illos vel reditum docere poenae aut culpa secundum speciem et genus, quatenus rursus fit homo reus sicut erat prius; vel speciatim eum tantum reditum praecedentium peccatorum voluisse significare, quem s. Thomas vocat *secundum quid*, h. e. improprie dictum quatenus scilicet praecedentia peccata in peccato sequenti *virtualiter* continentur. Haec enim *continentia virtualis* huc redit, quod peccatum sequens remissionem prioris, propter hanc circumstantiam sit aliquid maius, ideoque maior quoque poena ei debeatur, quam si fuisset primum. Id vero, quod notandum est, supponit remissionem praecedentis peccati fuisse veram et absolutam; si enim fuit remissio solum conditionata, non fuit vera remissio peccatorum, nec sic locus esset ingratitude. Porro illa continentia virtualis reperitur potissimum in quibusdam peccatis, cuiusmodi sunt apostasia a fide, odium fraternum, contemptus confessionis et dolor de poenitentia habita, ut declarat s. Thomas art. seq. propter specialem rationem ingratitude, quam continent, contra beneficium remissionis concessae praecedentium peccatorum. Advertit proinde idem s. Doctor art. 3. quod quantitas reatus re-

deuntis non est secundum gravitatem praecedentium peccatorum iam dimissorum, sed secundum gravitatem peccati subsequenter; respondet enim circumstantiae peccati sequentis, et non est in summa nisi reatus integer peccati sequentis spectati secundum se et secundum circumstantiam consecutionis. Monet tandem idem s. Doctor art. 4. quod ingratitude huiusmodi tunc est speciale peccatum, cum quis in contemptum suscepti beneficii remissionis rursus peccet; secus enim non est nisi simplex circumstantia peccati, quae in omnibus peccatis post primum reperitur.

Videtur autem Augustinus in ea fuisse sententia quod peccata remissa vere redeant, h. e. rursus imputentur et puniantur ac si dimissa non fuerint. In lib. enim 1<sup>o</sup> de baptismo cap. 12. pluries id asserit: « Sicut fit cum quisque a tenebris per lucem transit ad tenebras, oculi quidem eius in tenebras perpetuo diriguntur, sed non potest lux nisi perfundere transeuntem: si hoc ergo dixerint, hoc etiam in eis intelligant fieri, qui extra Ecclesiae communionem, sed tamen baptismo Ecclesiae baptizantur, quod ubicunque fuerit sanctum est per se ipsum, et ideo non est eorum qui se separant, sed eius unde se separant; valet tamen et apud eos hactenus ut per eius lucem transeant ad dissensionis suae tenebras, continuo redeuntibus peccatis, quae baptismi sanctitas in illo temporis puncto dimiserat, tanquam redeunte obscuritate, quam lux in transitu excuserat. Nam redire dimissa peccata ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus docet de illo servo, quem cum invenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit. Ille autem conservum suum, qui ei debebat centum denarios, cum miseratus non fuisset, iussit eum Dominus reddere quae ei dimiserat... Nec tamen illud, quod nondum conservo dimiserat, impedit dominum eius quominus in illo tempore accipiendae rationis dimitteret ei omnia quae debebat. Sed quid profuit, quandoquidem in caput eius propter odiorum perseverantiam rursus omnia continuo replicata sunt? Sic non impeditur baptismi gratia quominus omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in eius, cui dimittuntur, animo perseveret... Deinceps autem reus esse continuo incipit non solum consequentium sed etiam praeteritorum dierum, redeuntibus omnibus quae dimissa sunt; et haec saepe contingunt in Ecclesia ».

Respondeo locum quidem esse difficilem; haec tria tamen certa sunt. Primum universum hunc Augustini sermonem inniti hypothesi quam Donatiani tribuit, et ex ea argumentari. Postquam enim probaverat per baptismum in schismate acceptum licet valide collatum non dimitti tamen peccata tum cum suscipitur, sed cum ad Ecclesiam reditur (quae quidem doctrina ab Augustino asserta et probata

ob oculos habenda est in sequentibus), rursus contra eos arguit hoc pacto: « Si autem dixerint in illo, qui fictus accessit, per sanctam vim tanti Sacramenti dimissa quidem illi esse peccata in ipso temporis puncto, sed per fictionem eius rediisse continuo... ut et induat eum Christo sanctitas baptismi, et exuat eum Christo perniciis fictionis, sicut fit » cum ceteris supra relatis. Alterum, quod certum esse dicimus, est quod Augustinus non agit de nostra hypothesi, quod nempe peccatum remissum redeat, sequente alio peccato: nam de vero peccato haec sermo non est; neque enim susceptio baptismi ut peccatum a Donatiani et Augustino haec spectatur. Quocirca sententia Augustini, quaecumque ea sit, ad rem nostram modo nihil facit. Tertium, quod certum dicimus, est remissionem, quam agnoscit Augustinus, non esse veram remissionem, quod duplici ex causa constat. Primo quia iam diserte demonstraverat baptismum in schismate susceptum non delere peccata, cum suscipitur, sed cum ad unitatem Ecclesiae reditur. Secundo, quia haec remissio comparatur remissioni, quam fecit Dominus servo perseveranti in odio conservi sui; est autem evidens veram esse non posse huiusmodi remissionem. His constat nihil erui posse ex verbis Augustini contra id quod defendimus.

Quaeres; si redit reatus remissi peccati *secundum quid*, cur dictum est in thesi ipsum *nullo modo* redire.

Respondeo: quia hic reditus reatus remissi improprie tantum dicitur; reapse enim non imputatur nisi reatus sequentis peccati, quod tamen gravius est propter beneficium remissionis prius acceptae.

Ad primum argumentum ex ratione respondeo duo: 1) infusionem gratiae esse tale Dei donum, ut eius conservatio requirat hominis cooperationem, et nequeat manere gratia, peccante homine, unde revocatio huius doni sequitur necessario peccatum hominis, qui si offendit Deum, nequit amicus esse Dei; at ex peccato sequenti nequaquam consequitur necessario ut condonatio offensionis facta revocetur. 2) Et si gratia collata privetur homo propter peccatum, non tamen fit ut prius amicus Dei vere non fuerit, sed tunc tantum illud peccatum incipit imputari.

Ad secundum iam respondimus in demonstratione thesisi.

Quae docet S. Doctor in articulis 2. 3. 4. declaratione non egent. Potissima dedimus in responsione ad argumentum ex Patribus. Legatur textus s. Thomae.

(q. LXXXIX.)

XIV. Succedit quaestio quae est de virtutum recuperatione per poenitentiam. Iam vero in articulo 1<sup>o</sup> docet s. Thomas per poeni-

tentiam restitui virtutes, supernaturales nempe, quae consequuntur gratiam sanctificantem et caritatem. Ratio est evidens, quia per poenitentiam remittuntur peccata, remissio non fit sine infusione gratiae, cum gratia nexae sunt virtutes: ergo.

Articulum II et III explicabimus postea.

In articulo IV declaratur quid sint *opera mortificata*. Quocirca advertendum est opera hominis secundum dignitatem, quam habent erga finem, distingui multipliciter. Nam 1) ea, quae hominem retrahunt a fine illumque indignum eo reddunt, ut peccata mortalia, dicuntur *mortifera*, quia privant vita necessaria ad consecutionem finis. Opera vero bona, quae in caritate fiunt, existente nempe homine in statu gratiae, dicuntur *viva*, quia sunt a principio vivente, et efficaciam habent ad merendam vitam aeternam. Si vero opera bona fiant in statu peccati, dicuntur *mortua*, quia cum non sint ab homine amico et filio Dei, valorem meriti non habent pro vita aeterna. (a. 6.). Tandem opera viva, quae nempe in statu gratiae facta sunt, si amittatur gratia, superveniente peccato, dicuntur *mortificata* propter superveniens peccatum; non enim sunt opera mortua, quia fuerunt facta in gratia, non sunt amplius viva, quia non amplius valent perducere hominem in vitam aeternam, sed sunt mortificata, quatenus per peccatum praesens impeditur eorum effectus, qui est consecutio beatitudinis. Haec autem appellatio et explicatio addita supponit id quod modo demonstrandum est: illo enim posito vere dici potest ea opera esse tantum mortificata, non mortua. Quaerit ergo s. Thomas a. V. utrum opera prius in caritate facta, per poenitentiam remisso peccato, reviviscant.

#### THESIS XIX.

*Remisso per poenitentiam peccato, opera prius in caritate facta reviviscunt.*

I. Quamvis sit communis prorsus Theologorum sententia, opera mortificata, deleta per poenitentiam peccato, reviviscere, non est tamen una ratio explicandi hanc reviviscentiam. Prima sententia docet ideo opera mortificata reviviscere, quia remisso peccato, gloria quae dabitur iusto, dabitur quoque propter illa opera, non tamen maior quam debeatur meritis post ultimam iustificationem comparatis, ita ut sint quidem plures tituli ad gloriam, non autem haec sit propter ea praecedentia merita maior secundum se. Erit tamen aliquod praemium accidentale pro illis operibus, quatenus de illis iusti in caelo gaudebunt. Haec est sententia Bonaventurae in IV. D. XIV p. 2. a. 2. q. 1. eamque s. Thomae tribuit Toletus in h. l. spectatis iis quae s. Doctor docet ad 3<sup>m</sup>.

Altera sententia est quod cum peccator resurgit ad gratiam, non solum ei datur gratia respondens praesenti dispositioni, sed tota amissa gratia datur et totum meritum gloriae: quocirca reviviscunt omnia opera facta in gratia. Istam Nominales tenent, Toletus in h. l. et Suarez Opusc. Relectio De reviviscentia meritorum, aliique.

Tertia opinio est quod omnia opera mortificata redeunt quantum ad meritum vitae aeternae, non tamen restituitur in hac vita gratia seu gradus gratiae, qui prius habebatur. Negant scilicet auctores huius opinionis necesse esse quod, si opera reviviscunt quantum ad meritum gloriae, reviviscant etiam quantum ad gratiam. Quia, inquiunt, per actum remissum caritatis habetur meritum gloriae, non vero datur per eum nunc augmentum gratiae (2<sup>a</sup>. 2<sup>o</sup>. q. CIV. a. 8); non ergo opus est ut si illud est, sit quoque et alterum.

Quarta opinio rationem habet modi, quo homo resurgit a statu peccati: ait ergo quod homini resurgenti per gratiam *secundum totum conatum suum* restituantur omnia opera mortificata quantum ad meritum gloriae et quantum ad gratiam. Si vero non resurgit homo secundum totum conatum, restituantur opera proportionate conatus, ut si dimidia pars fuerit conatus, reddatur dimidium bonorum operum, et ita porro. Per bona autem opera sequentia proportionaliter quoque reddi partem gratiae et meritorum mortificatorum. Haec est doctrina Dominici Soto in hanc quaestionem a. 2. Differt haec sententia a secunda, eo quod ipsa velit poenitentiam se habere ut dispositionem ad reviviscentiam meritorum; secunda vero teneat poenitentiam se habere tantum ut removens prohibens, h. e. impedimentum quod est peccatum.

Has doctorum sententias dicit Toletus omnes esse probabiles propter rei incertitudinem; eligendam eam tamen esse, quae magis consonat Scripturae, pietati et rationi.

II. Ut quid ergo nobis videatur clare proponamus, declarandum primo est quid intelligamus proprie, cum dicimus *reviviscentiam operum bonorum*.

Itaque reviviscentia operum bonorum in eo est, ut merita ad vitam aeternam, quae per opera bona homo, cum iustus esset, sibi comparaverat, quaeque, superveniente statu peccati, non amplius ei proderant dum maneret in eo statu, rursus valeant, deleta peccato, valeantque sicut prius ad vitam aeternam. Hoc enim est opera esse viva, habere nempe vim perducendi ad vitam aeternam, ut ait heic s. Thomas: opera idcirco reviviscere est hanc vim rursus obtinere. Quare merita ista non supponuntur propter sequens peccatum prorsus extincta sive mortua, ut amplius redire non possint, sed potius mortificata; quatenus nempe eorum efficacia impeditur per peccatum;